QVÆSTIO MEDICA.

Vtrùm, in apertione fonticularum actuali cauterio necessario perforanda sit utraque cutis; an verò sufficiat inurere externam cuticulam?

DOCTORI RODERICO DE SORIA VERA, Medico, & Chirurgo insigni.

DOCTOR IOANNES GVTIERREZ DE GODOY. S. P. D.

VIX (amice charissime) ullis verbis explicare possem, quantam, & quam iocundam utilitatem ex tuis semper scriptis percipiam, illis namque multa doceor, multis delector, & circa multa iocunde moror, quam obrem, si mihi gratissimam rem facere desideras, ut genus hoc scribēdi ne prætermittas, etiā, atque etiam oro. Ego statim, ut cunque potero, respondebo libentissime. Sed iam accedo ad tuam epistolam, & ut maiori claritate dissertam à nobis quęstionem integerrimi iudices percipiant, integram historiam, & occasionem huius nostræ controversiæ, quam tu omittis, proponam.

CVM mihi tecum conveniret (sapientissime Doctor) pro ultimo, & utilissimo remedio in curatione difficultatis respirationis D. Gasparis de Carrillo & Quesada, Canonici dignissimi us Sanctæ Ecclesiæ Giennensis, de apertione fonticu- in in bracchijs actuali cauterio, visum est Doctori Fer- andez, mihi, & ęgrotanti, ut huius rei cura, tibi, utpote gni, & exercitatissimo medico, & chirurgo committe- ir; quod etsi tãto viro indignum aparuerit (Hippocrate e) tu tamen sincerissimo animo, & solita humanitate li- ter admisisti. Veniẽtes iam ad exercitium huius reme- cum candentem ferrum in manu haberes, te admonui, æviter cauterio tãgeres carnem, eo quod amantissimus ter Canonicus carne mollis esset, sensibilis satis, assuetu- otio, & delitijs, qua propter sine molestia, & dolore tu- s, & iocundius remedium exerceri debebat. Tantum em abfuit, ut lævi manu tangeres ęgrotum, vt plumbe- ius, atque morosa ferrum impingeres, non sine magno ientis dolore, quod ego videns, iterum denuo à te pre- us postulavi, vt inustione secundæ fontanelæ lævius tã- es carnem, quia necessarium non erat, neque positum in ixi apud peritissimos Regios, & Hispalenses chirurgos periendis fonticulis mora tanta, immò instantanea per- ione cauterio inurere; sed monitiones meas parvi ęsti- ns, secundã fonticulam tardiori motu, acriori molestia, iorique carnis ustione aperuisti: itemque affirmasti aciter, hanc praxim tanquam necessariam per longo npus exercuisse, eo quod in apertione fonticularũ

esset in urere cutem externam, & internam ex authoritate Ludovici Mercati, quod fieri non posset nisi cauteriũ per aliquod tẽporis spatium detineatur in carne, quia cauteriũ inducendo crustã, impedit ingressum ipsius igniti ferri ad comburẽdam veram cutem. Ingeniosissimus noster sotius Doctor Ferdinandez, & ego, duo tibi diximus. Primũ fuit, non opus esse ad aperiendas fonticulas inurere cutem veram, sed sufficere, ut externa cuticula comburatur. Secundum, quod licet verum esset, veram cutem necessario perforandam, hoc non tollit quin brevissimo temporis spatio ignito ferro mucronato fiat, & sic cito, tuto, & iocunde, iuxta artis præcepta curationem ageres. Hæc autem, quæ ibi obiter dicta sunt in præsenti epistola probare conabor; & licet prælia nostra semper sint sine ferro: præsens tamen, neque sine ferro, neque sine igne esse potuit, ex illo tamen lucrum necessario mihi, & tibi futurũ spero; nam ut inquit Hieronymus ad Augustinum: [Cumque tu viceris, & ego vincam, si meum errorem intellexero, & econtrario me vincente, tu superas:] Vtinam hoc cædat in laudẽ omnipotentis Dei, immaculatæque Virginis Matris eius, & in aliquam utilitatem medicinæ.

Sit prima conclusio, ad aperiendas fonticulas actuali cauterio (ut optima methodo fiant) non opus est inurere vtranque cutem, sed sufficiet ut læviter cuticula exterior comburatur.

Pro huius conclusionis probatione, Primò, præmittenda sunt aliquot notabilia ex ijs ipsis, quæ in tua epistola doctè, & eruditè proponis pro maiori sententiæ tuæ probatione, in quibus totam fere meæ sententiæ vim consistere arbitror, ut argumentis ad hominem convictus meis placitis acquiescas.

imo supponis, cum Michaele Gavaseto, lib. de natura
erij, cap. 19. [In administratione cauterij peculiarem
inis naturam, cui cauterium affigitur, debere chirurgus
iderare, quia in pueris, & fœmellis, & vitam otiosam,
licatâ degentibus, habitus corporis rarior, & mollior
tit: contra in ruralibus, & negotijs deditis hominibus;
is enim subtili manu, in his verò, non ita blande impri-
dum erit cauterium, in omnibus tamen cuticula, & cu-
erforanda.]
ecundo supponis, cuticulam in homine tenuem, & du-
esse propria natura, quod fuit necessarium, ut per du-
m magis resisteret extrinsecus occurrentibus, & me
internas partes defenderet; colligis autem cuticulam
am esse, ex verbis quibusdam Vesali, & Balverdi in
nothomia, lib. 2. nam agentes de membrana carnosa
nt: [Membranam carnosam, longe cuticula robustio
validiorem, crasioremque esse.] Ex illis autem verbis
liorem, & robustiorem, deducis cuticulam habere re
iam ex duritie, sicut habet membrana carnosa; qui
lam duritiem haberet, comparatio inter illa non te

rtio supponis, cum Galeno lib. 6. epidemion, sect. 1
3. cuticulam densiorem esse carne, & cute vera, ita ut
uam habeat poros.
uarto supponis, cutem veram in homine medium ob
e in duritie, & mollitie, & ob id dixit Galenus; cutem
eluti nervum sanguine præditum.
eter hæc autem, quæ à te dicta sunt, alia etiam præ
necessaria ad conclusionis probationem. Primo, non
ostram controversiam, an fontanela postquam per

fecte constructa manet, utranque cutem habeat perforatã? Hoc enim nullus dubitare potest, nam ubi adest foramen integrum cicer tumefactum complectens, nõ solùm utraque cutis, sed adeps, & membrana carnosa sunt transforata. Dubium igitur, & cõtroversia est; Vtrum sufficiat ad aperiendam fonticulam læviter cauterio ignito cuticulam inurere, & postea ablata crusticula medicamento suppurantũ, & compresso cicere ulcere; an cito, tuto, & iocunde vera cutis, & reliquæ partes subiectæ perforentur?

Secundo suppono, cum Ambrosio Pareo, lib. 2. cap. 4. & cum alijs anothomicis, veram cutem compositam esse ex nervis, venis, arterijs, & propria sui generis carne, & substantia spermatica, indeque sensibilis est supra modum, ut docet experientia, propter quam causam Galenus. 1. de temperamentis: tactus instrumentum esse dixit: E contra verò, cuticula excrementum est cutis veræ, & originem ducit eius materia ex superfluitate excrementitia nervorum, venarum, arteriarum, & substantiæ ipsius cutis veræ. Vnde quasi efflorescentia quædam est resiccata ipsius, ob idque omnis sensus expers, ut docet Aristoteles 2 lib. de anima.

Tertio suppono, cum Galeno lib. 2. de causis morborum, veram cutem omnium partium nostri corporis imbecilliorem esse, eo quod recipit in se totius corporis excrementa.

His positis iam iam accedo ad probationem conclusionis his argumentis.

Primum est, medicus, ut bene operetur, debet tuto, cito, & iocunde curare, iuxta celebre præceptum medicinæ, (quod tu etiam supponis pro tuæ sententiæ probatione)

sed qui cauterio ignito detinetur inurendo, & perforando utranque cutem, neque curat tuto, neque cito, neque iocũde, igitur male operatur. Maior certa est, ut tu fateris, sed probatur minor. In primis, non curat tuto, quia ille curat tuto, qui, si non consequitur curationis finem, quem intendit, ad minus non lædit, iuxta Hippocratis præceptum, 1. lib. epidemiõ. [Exercere in hoc circa morbos, vt prosis, aut non noceas.] Sed qui detinetur inurẽdo carnem sanam actuali cauterio pluries lædit, igitur non curat tuto. Maior certa est, sed probatur minor, qui detinetur ignito cauterio perforando utranque cutem, præter solutionem continuitatis, quam intendit facere cauterio, partem calore præternaturali intemperat, & acervissimo dolore tactum cruciat: dolor autem ingens, & intemperies calida, causa sunt immoderatæ tractionis sanguinis, & humoris ad partem patientẽ, ut cõstat ex Galeno mille in locis, & experiẽtia quotidiana monstrat, ubi est copia cacochimiæ talem fluxum concitari cum periculo corruptionis membri, qua ratione anno præterito vidimus in domino Petro Andrea de Pidula Presbyteno, cui ex dolore, & molestia igniti cauteri, tardo motu applicati (etiam si in debito loco sinistri bracchij) tanta fluxionis cõpia ad totum bracchium irruit, ut nullis cedens remedijs, tandem robustum iuvenem enecaverit. Idem fere evenit Moniali nudi pedis opidi de Oropesa, cui me præsente imperitus chirurgus fontanelam in debito loco dextri cruris ignito cauterio aperuit, & cum multum detineretur perforando carnem clamabat dicta Monialis, & lachrymis Deo offerebat intensissimum dolorem, præsensque martyrium. Perseveravit autem dolor per plures dies, simul cum fluxione magna, & crus ineptum factum

fuit ad fontanelam. Plures alias historias huius generis verissimas, quarum testis fui, in præsenti afferre possem, quæ brevitatis causa omitto.

Confirmatur, cutis vera composita est, ex nervis, venis, & arterijs, ut supra probavi ex sententia anothomicorum, est etiam acutissimi sensus, & instrumentum tactus, ut docui ex Galeno. Igitur crudele, & inhumanum remedium erit obiecto molestissimo, quale est ignitum cauterium, absque urgentissima necessitate tactum torquere, & nervos, venas, aut arterias inurere, quando sine molestia, & dolore idem finis facile consequi potest.

Præterea, non curat cito (quæ erat secũda pars minoris) probatur, quia quo plus detinetur cauterium, crasior, & robustior fit crusta; ut docet Mercatus loco à te adducto, sed quo crasior, & robustior est crusta, tardius, & difficilius separatur à carne; ergo tardius, & difficilius fit fontanela. Maior negari non potest, minorem verò probat experientia, ideoque Mercatus dicto loco, in sistendis sanguinis fluxionibus consulit, ut detineatur cauterium, ut fiat crusta crasior, & robustior, & inde difficilime separetur. Rationique est consonum, nam quo maior, & crasior est crusta plurimis partibus carnis adhæret, & sic difficilius separatur.

Quod autem non curet iocunde (quæ erat tertia pars minoris) sufficienter probari posset nostri Canonici quærimonijs. Sed ratione etiam probatur, nam dolor opponitur voluptati, & iocunditati: ergo quo plus excitatur doloris in apertione fonticularum, minus est iocunditatis.

Dicis dum intendis probare tuto fieri curationem perforata utraque cute, quod cum sit duplex finis in apertione fontanelarum, & salus ęgrotantis, & perforatio carnis,

uter

uterque finis tuto consequitur si utraque cutis tarda manu perforetur: nam si loquamur de excavatione carnis, ut per eam excrementij humores tertiæ regionis expurgentur, pro hac intentione tutius, & perfectius evadit illud opus aperta utraque cute, quam cuticula solum. Si autem consideremus fonticulam in ordine ad salutem ægrotantis, tutius, & perfectius adipiscitur utraque cute perforata, quia sic facilior patet exitus humoribus.

Ad primum respondetur negando antecedens, immò tutius, & citius fit fontanela, leviter combusta cuticula, ut probatum manet.

Ad secundum respondetur negando antecedens, nam citius adest exitus humoribus expurgandis, quando minor crasa, & robusta est crusta, qua ratione supra probavi, quia citius ablata scara, brevissimo temporis spatio, compressione ciceris, & medicamento suppurante, excavatur veratis, & formatur fontanela, quod experientia quotidie monstrat.

Dicis Præterea: [Illam curationem fieri cito, quando in curatione nulla prætermititur occasio agendorum, sed perforando utranque cutem tarda manu, nulla prætermittitur occasio agendorum; ergo cito fit curatio.]

Respondetur negando minorem, quia ut supra probatum manet, citius perfectè formatur fonticula combusta sola cuticula.

Vt autem probes iocundam fieri curationem perforata utraque cute, sic discurris. [Iocundam autem dicimus curationem, quando per illam citra dolorem, & molestiam sanitas recuperatur, si autem semel deliberemus de apertione fontanelarum ferro ignito, curatio hæc in iocunda necessa-

necessario erit, sivè cuticulam, sivè utranque cutem aperiamus. Si autem salutem adipiscendam consideremus. Dico, quod iniocunditas, & dolor apertionis fontium erũt iocunditas, & voluptas respectu salutis, quia dolor erit in causa, ut citius trahantur excrementa evacuanda, & sic iocũda ex hac parte erit apertio utriusque cuticulæ, scilicet respectu salutis adipiscendæ.]

Et si adhuc dixeris, non esse adeò iniocundam solius cuticulæ ustionem. Respondetur, quod hic bene quadrat, ne te ponas cum tuo amico in una littera, quia cuticula supra cutem parvissimam addit profunditatem, &c.

Contra hoc plura dici possunt. Primò, per iocundam cutationem solùm medici intelligunt, blandam, suavem, & minus molestam remediorum applicationem, propter quã causam periti chirurgi, qui lævi manu, & dolo optimo operantur, alijs (etiam si doctiores) superiores sunt, quia minori molestia vulnera, & dolentes partes tractant. Eadem ratione medicus, qui suavioribus, minusque acerbis medicamẽtis rectè curat, alios præcellit. Ergo chirurgus, qui exigua, ut nulla præcedente molestia brevissimo temporis spatio levi cauterio fontanelam perficit, absque dubio maiori laude, & præmio dignus est illo, qui tardius, & gravissimo dolore eundem finem consequitur: & consequenter, in ordine ad salutem, quam medijs fontanelis speramus, iocundius curabit.

Neque valet dicere exiguam esse differẽtiam in dolore, & molestia, quando comburitur cuticula sola, & quando utraque cutis perforatur; in hoc enim minimè patientes convenient, & sic ad vitandum ingentem dolorem, quid mirum si se ponant cum amico in una littera (ut tu dicis)

quin potius libentius lecticam ipsam baiulabunt, quam ignito cauterio tardo motu sanam carnem aduri patiãtur.

Secundo probatur conclusio, cuticula (ut latè probas in tua epistola) dura est propria substantia, & carens poris vera autem cutis mediam naturam in mollitie, & duritie tenet, & plures poros habet. Ergo ad formandam fontanelam sufficit duram cuticulam inurere, & quod reliquum est, impresione ciceris simul cum medicamento suppurante, breviter fieri potest. Antecedẽs certum est, probatur autem consequentia argumento ad hominem; membrana carnosa (ut late probas secundo notabili cum Vesalio, & Balverde) durior est, & robustior cuticula; ergo adhuc durior erit cute vera, quæ mediam naturam habet inter duritiem, & mollitiem, sed membrana carnosa brevissimo tẽporis spatio rũpitur, & perforatur cõpresione ciceris; ergo multo citius vera cutis trãsforabitur. Consequẽtia certissima est, antecedẽs verò patet experiẽtia in formatione omnium fonticularũ, sivè initio cauterio actuali, sivè causticomedicamẽto fuerint apertæ. Nisi consulto velis membranam etiam carnosam cauterio perforare, quod est absurdum.

Tertio probatur conclusio: in administratione cauterij (ut supponis primo notabili cum Michaele Gavaseto) peculiaris natura hominis, cui affigitur cauterium, considerãda est, nam in pueris, fœmellis, spadonibus, & illis omnibus, qui vitam otiosam, & sedentariam habent, quia habitus corporis rarior, & mollior est, subtili manu imprimendum est cauterium. Ergo ad minus in huius generis hominibus cuticula sola est inurenda (hoc enim sonat verbum subtili manu) at noster amãtissimus Canonicus carne mollis est, albus, pituitosus, assuetus delitijs, & otio. Ergo in illo nõ observasti Gavaseti præceptum.

Præ-

Præterea, prædictus Cavasetus, cap. 19. citato, nulla ratione dicit, utranque cutem esse perforandam (quod tu falso illi imponis) immò ex doctrina eiusdem capitis evidenter constat, contrarium sensisse: paulò enim infra, dum iam ignito cauterio oportuno loco accedit, hæc refert verba: [Loco iam oportuno nacto, si actualem ignem admovere volueris, locum ferro, quod suis margionibus constans pateat, in medio circunscribere oportet, atque tunc molli lana speciali nucleo alligata, ferventi oleo, vel butiro intincta, circunscriptum locum contangere potes, quod si oleo uti nolueris, ferrum candens, vel argentum admobebis.] Si igitur molli lana ferventi oleo intincta, carnem tangit, sentit ergo cuticulam solùm esse inurendam, quia verbum illud contangere, non dicit moram, detentionem, aut compresionem, sed solùm lævem contactum, qualis molli lana necessario fiet.

Quarto probatur conclusio: crustifera, seu scarotica medicamenta, quæ solùm cuticulam inurunt, sufficiunt ad apertionem fonticularum, immò dictis medicamentis vulgus ab experientia edoctum pasim sine chirurgis, in omni ętate, regione, & tẽperamento fontanelas aperit, cito, tuto, & sine dolore. Ergo multo melius fiet lævi cauterio cuticula inusta, antecedens patet longissima experientia, consequentia etiam certa est à paritate rationis.

Secunda conclusio: in apertione fonticularum, etiam si opus esset utranque cutem perforare (ut falso defendis) hoc non tollit, quin brevissimo temporis spatio ignito cauterio fiat, & consequenter cum læui ęgrotantis molestia.

Hæc conclusio ita certa est, ut non indigeat probatione, nam si ignitum cauterium breuissimo tẽporis spatio potest

integrum bracchium transforare, immò, & durissimum lignum. Breviori ergo tempore utranque cutem inuret.

Id autem, quod dixisti cauterium inducendo crustam sui ingressum impedire, ob idque opus esse, ut per aliquod tempus detineatur perforando: ita falsum est, ut impugnare erubescam; nam cauterium hebetis mucronis cum sit, nisi ratione ignis, & crustæ, quam inducit, nullatenus posset absque magno impulsu carnē perforare. Potius ergo crusta iubat, quam impedit penetrationem cauterij, & huius rei ratio est evidens, nam ignis sua activitate, & boracitate brevissimo tempore comburit, & separat partes carnis, quas tangit, & sic locum præbet penetrationi, seu perforationi cauterij. Vnde Falopius tractatu de cauterijs, cap. 1. dicit, actualia cauteria esse, quæ statim ac admota sunt, membrum comburunt. Et Fragosus in antidotario, cap. de cauterijs, sic loquitur: [Los cauterios actuales, tan presto como llegan, al momento abrasan.]

Sed iam opus est tuis argumentis satisfacere. Erat primum argumentum. Vtraque cutis dura, & densa est, tam respectu sui considerata, quam respectu carnis. Ergo utraque cutis ferro candenti debet perforari pro utili, & optima fontanelarum apertione. Antecedens certum est, probatur consequentia, ex fine, & intentione, quam sibi proponit medicus in apertione fonticularum, eo enim tendit, ut per illas opituletur affectibus, qui ex quotidiana excremētorum generatione à tertia regione fobētur, evacuatis per ipsas excrementitijs humoribus.

Totum hoc argumentum probat fontanelam, ut optima, & utilis sit, necessario debere utranque cutem perforatam habere, quod tibi libenter concedo, & in primo meo

notabili

notabili ſuppono : minime tamen probat, hanc perforationem neceſſario faciendam eſſe cauterio, ut latè probaui quarto argumento.

Erat ſecundũ argumẽtũ: vel ſola cuticula ferro candenti eſt aperienda pro fontanela, aut utraque cutis? Si hoc ſecundum dixeris, habemus intentum; ſi primum contra eſt, quia præter quam quod ex apertione ſolius cuticulæ euenirет, ut in particula adeò tenui nõ maneret cavitas, in qua recipiatur cicer, ſequeretur inſuper, ut hi non poſsint ex tẽpore expurgari, quod probo, quia cum maneat imperforata cutis vera, ipſa per ſupradictas qualitates impedimento erit expurgationi illorum ex carne.

Ad primam partem argumenti reſpondetur facile, ſolam cuticulam cauterio eſſe perforandam, & poſtea formatio fontanelæ fiet à cicere, qua ratione argumento ſecundo probavi. Ad ſecundam partem iam dictum eſt in ſolutione primi argumenti.

Erat tertium argumentum: poſt ſanationem fontanelarũ manet ſemper cicatrix. Ergo in illarum apertione perforata fuit ſemper cutis vera.

Hoc argumentum ſolum probat fontanelam, poſtquam perfectè conſtructa fuit, habuiſſe utranque cutem perforatam, quod ego libenter concedo, & ſuppono in primo meo notabili.

Dicis præterea, ſi eſt neceſſaria perforatio cutis veræ in fontanelis, fiat cauterio à chirurgo, nec temporis decurſui relinquatur, quia illo modo retardabitur utilitas, quam ex illa perforata expectamus.

Huic argumento iam ſupra latè dictum eſt, dum probavi iniocundam, & moleſtam fieri curationem, quando chirurgus gravi manu utranq; cutem inurit.

Erat

Erat quartum argumentum: Medicus in curatione morborum, debet imitare naturam rectè operantem, sed natura in hydrope anasarcha, vel ascite, profundioribus excitatis ulceribus, in cruribus hydropem sæpè sanare cõsuevit. Ergo medicus, si in simili affectu, vel quovis alio fontanelas aperuerit in bracchijs, vel cruribus, ulcuscula illa eousque profunda imprimere debet, ut utrãque cutem pertranseat.

Respondetur primò: medicum magis imitare naturam inurendo solum cuticulam, & postea leniter sine molestia veram cutem, adipem, & membranam carnosam perforando, quam si unico ictu totum hoc rumperet; quoniam natura in hydropicis paulatim corrodẽdo carnem, & cutem, ulcuscula profunda eodem modo sine molestia leniter excitat. Quando autem chirurgus scarificationibus, aut cauterijs intendit hydropicum evacuare, non potest tot scarificationes, aut ustiones morè fontanelarum tractare, neq; cicera omnibus apponere, ideo ex unica vice utranque cutem, & carnem perforat.

Præterea, aliud est tumorem aliquem perforare, aliud verò fontanelam in bracchio, vel crure sano aperire, nam quando tumorem perforamus intendimus humorem in illo contentum evacuare; hoc autem citius, & perfectius profunda incisione, aut ustione fit, tardius verò lævissima ustione, aut incisione. E contra autem in fontanelis, quia lævitem inusta cuticula citius formantur, & finis expurgationis breviori tempore consequitur, non opus est profundè penetrare.

Adducis præterea, in confirmationem dicti argumenti communem loquendi modum authorum, qui dum instituunt sermonem de apertione fontanelarum, dicũt, partem

esse

esse perforandam, excavandam, & aperiendam, non verò ipsam superficie tenus ignito cauterio tangendam.

Sed contra hoc est, quia nullum authorem inveni, qui in apertione fonticularum utranque cutem cauterio esse perforandam affirmet: immò contrarium ex communi ipsorum locutione colligitur. Solus Ludovicus Mercatus, quem citas, id videtur insinuare, ex verbis tamen ipsius authoris eodem loco constat manifestè, non esse necessariam penetrationem utriusque cutis. Verba sunt hęc: [Præterea ubi ob partis præstantiam, aut quodvis aliud inconveniẽs, non licet fontanelam profũdè excavare, crustiferis tantum medicamentis res fieri debet.] Si igitur crustiferis tantum medicamentis, quæ solum cuticulam inurunt, potest fontanela aperiri ex eius sententia. Ergo non sentit utranque cutem necessario esse perforandam.

Neque aliquã vim habet, quod ex ipso adducis, scilicet, in apertione fontanelæ, quando fit crustiferis medicamentis, opus esse scalpelo prius partẽ perforare: Hoc enim, ad breviorem solùm fontanelæ apertionem consulit, nam durior cuticula prius rupta scalpelo, facilius scarotica suum effectum producunt: aliàs ignoraret prædictus author scaroticorum naturam.

Hæc pro officio dixi: quæ si fortè tibi displicuerint, & quid melius habes.

Candidus imperti; si non his utere mecum.

Vale.